

Matth. 12. 24. &c. mino convicium judæi, cum dixissent: *Hic non ejicit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum*; respondit ille: *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia, certè supervenit in vos regnum Dei.* Quod alius Evangelista sic enarrat: *Si ego in digito Dei ejicio dæmonia.* Quod alius Evangelista dixit, *Spiritus Dei*; alius dixit, *Digitus Dei.*

Luca 11. 20. Ergo digitus Dei, Spiritus Dei. Ideo Lex data scripta digito Dei; quæ Lex data est in monte Sina quinquagesimo die post occisionem ovis, celebrato Pascha à populo judæorum. Implentur quinquaginta dies post occisionem ovis, & datur Lex scripta digito Dei: implentur quinquaginta dies post occisionem Christi, & venit Spiritus sanctus. Gratias Domino, occultanti providenter, aperienti suaviter. Jam videte hoc etiam, fratres,

Exodi 8. 19. Pharaonis Magos evidentissimè confiteri. Deficientes in tertio signo dixerunt: *Digitus Dei est hic, &c.*



EPISTOLA CLV. *

* *Alias LII. quæ autem 155. erat, nunc 258.*
Augustinus Macedonio, docens vitam beatam & virtutem veram non esse nisi à Deo.

Scripta post ann. 414.
AUGUSTINUS episcopus famulus Christi familiaræque ejus, dilecto filio MACEDONIO in Domino salutem.

CAPUT I. I. QUAMVIS sapientiam, quam mihi tribuis, in me non agnoscam; tantæ tamen erga me benevolentia tuæ tamque sinceræ gratias ago debeoque plurimas, & meorum studiorum labores tali ac tanto viro placuisse delect-

lector. Multò verò ampliùs, quòd animum tuum caritate æternitatis & veritatis, atque ipsius caritatis affectum divinæ illi cælestique reipublicæ, cujus regnator est Christus, & in qua sola semper beatèque vivendum est, si rectè hic pièque vivatur, agnosco inhiantem, video propinquantem, ejusque potiundæ amplector ardentem. Inde quippe manat etiam vera amicitia, non pensanda temporalibus commodis, sed gratuito amore^a putanda. NEMO ENIM POTEST veraciter amicus esse hominis, nisi fuerit ipsius primitus veritatis: quod si gratis non fiat, nullo fieri pacto potest.

Amicitia vera.

2. De qua re etiam philosophi multa dixerunt; sed apud eos vera pietas, id est, verax veri Dei cultus, unde omnia rectè vivendi duci oportet officia, non invenitur: non ob aliud, quantum intelligo, nisi quia beatam vitam ipsi sibi quodammodo fabricare voluerunt, potiùsque patrandam quàm impetrandam putaverunt; cum ejus dator non sit nisi Deus. Neque enim facit beatum hominem, nisi qui fecit hominem. Nam qui tanta creaturæ suæ bona bonis malisque largitur, ut sint, ut homines sint, ut vigentes sensibus, valentes viribus, affluentes opibus sint; seipsum bonis dabit ut beati sint, quia ejus etiam hoc munus est ut boni sint. Illi verò qui in hac ærumnosa vita, in his moribundis membris, sub hac sarcina corruptibilis carnis, auctores suæ beatæ vitæ & quasi conditores esse voluerunt, velut propriis eam virtutibus appetentes, jamque retinentes, non ab illo fon-

Beatitudo à solo Deo.

G 2 te

^a Editi, *potiunda*. MSS. *tredecim, potanda*. Alii octo, *gutanda*.

Cicer. Tuscul. 5.

Lib. 1. de Civit. Dei cap. 17. & seq.

te virtutum petentes atque sperantes, Deum superbiæ suæ resistantem sentire minimè poterunt. Unde in errorem absurdissimum lapsi sunt, ut cum asseverant etiam in Phalaridis tauro beatum esse sapientem, cogantur fateri, vitam beatam aliquando esse fugiendam. Exaggeratis enim malis corporis cedunt, atque in eorum molestiis gravissimis abscedendum ex hac vita esse decernunt. Ubi nolo dicere quantum sit nefas, seipsum hominem occidere insontem: unde in primo libro trium illorum, quos benignissimè & studiosissimè perlegisti, multa jam diximus. Sed certè consideretur, nec superbe sed sobriè judicetur, quomodo vita beata sit, qua non sapiens retenta fruitur, sed illatis sibi manibus carere compellitur.

3. Est apud Ciceronem in extrema, ut scis, parte quinti Tusculanarum libri locus, propter quod dico, animadvertendus. Cum enim de cæcitate corporis ageret, atque affirmaret, etiam cæcum beatum esse posse sapientem, multa dixit quæ per aures percipiendo gauderet. Itemque si surdus esset, ea quibus oblectaretur ad oculos transtulit. Si autem utroque sensu orbaretur, & cæcus surdusque fieret, non est ausus hinc ferre sententiam, eumque beatum dicere. Sed addidit etiam dolores gravissimos corporis, qui eum si non interemerint, ipse se interimat, & ad portum non sentiendi hac liberatus virtute perveniat. Cedit igitur sapiens immanissimis cladibus atque succumbit, in tantum ut eis cogatur & in seipsum homicidium perpetrare. Cui jam parcat ut illis careat malis, qui sibi ipse non parcat? Certè semper beatus est, certè beatam vitam in sua potestate constitutam nul-

nulla vi potest ullius calamitatis amittere. Ecce in cæcitate & surditate & atrocissimis cruciatibus corporis, aut amisit beatam vitam; aut si & in istis afflictionibus adhuc beata est, fit per hujusmodi doctissimorum hominum disputationes, ut sit aliquando beata vita quam sapiens ferre non possit; vel, quod est absurdius, quam sapiens ferre non debeat, eamque fugiat, arrumpat, abiciat, seseque ab ea ferro etiam, seu veneno, vel alia voluntaria morte subducat; ut in portu non sentiendi vel nullus omnino sit, quod epicurei, & si qui alii simili stultitia, putaverunt; vel ideo beatus, quoniam fuerit ab illa beata vita, tamquam ab aliqua peste liberatus. O nimium superba jactantia! Si beata vita est in cruciatibus corporis, cur non in ea manet sapiens ut fruatur? Si autem misera est, quid obsecro te, nisi typhus impedit, ne fateatur, ne oret Deum, ne justo & misericordii supplicet, qui potens est & vitæ hujus mala vel avertere vel mitigare, vel ad ea toleranda fortitudine armare, vel ab eis omni modo liberare; & post hæc verè beatam vitam dare, quò nullum malum admittatur, & ubi summum bonum numquam amittatur?

4. Hoc piorum præmium est, cujus adipiscendi spe vitam istam temporalem atque mortalem, non tam delectabiliter quàm tolerabiliter ducimus, & mala ejus tunc bono consilio & divino munere fortiter ferimus, cum bonorum æternorum fideli Dei promissione, & fideli nostra exspectatione gaudemus. Ad hoc nos exhortatus Apostolus Paulus ait: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Ostendit enim quare in tribulatione patientes, præmittendo, *spe gaudentes.* Ad hanc spem ex-

hortor per Jesum Christum Dominum nostrum. Hoc enim Deus ipse magister, latente majestate divinitatis, & carnis infirmitate apparente, non solum sermonis oraculo docuit, verum etiam suae passionis & resurrectionis exemplo roboravit. In altera enim qualia tolerare, in altera qualia debeamus sperare, monstravit: cujus & illi gratiam mererentur, nisi elati inflatique superbia, inaniter conarentur istam vitam beatam ipsi sibi facere, quod solus Deus veraciter cultoribus suis, post hanc vitam se largiturum esse promisit. Sanius quippe est ejusdem Ciceronis illa sententia, ubi ait: *Nam haec vita quidem mors est, quam lamentari possent, si liberet.* Quomodo ergo si recte lamentatur, beata comprobatur, ac non potius quoniam recte lamentatur, misera esse convincitur? Quare assuesce, obsecro te, vir bone, beatus esse interim spe, ut sis etiam re, cum pietati perseverantissimae retribuetur merces felicitatis aeternae.

*Cic. in Tus.
quest.*

CAPUT II.

5. Si prolixa epistola onerosus sum, tute hoc intulisti tibi, qui me sapientem appellasti. Hinc enim ausus sum haec ad te loqui, ut tibi sapientiam, non qualis mihi sit, ostentarem, sed qualis esse debeat ostenderem. Haec est autem in praesenti saeculo verus veri Dei cultus, ut sit ejus in futuro saeculo certus atque integer fructus. Hic constantissima pietas, ibi sempiterna felicitas. Ex ista sapientia, quae una vera est, si quid habeo, à Deo sumsi, non à me praesumsi; atque ab illo in me perfici fideliter spero, à quo inchoatum esse humiliter gaudeo; nec in eo quod adhuc non donavit incredulus, nec in eo quod jam donavit ingratus. Non enim meo vel ingenio

vel

vel merito, sed ejus dono sum, si quid laudabiliter sum. Nam quaedam acutissima & excellentissima ingenia tanto in majores errores ierunt, quanto praefidentius tamquam suis viribus cucurrerunt, nec suppliciter ac veraciter Deum, ut sibi viam ostenderet, petiverunt. Merita verò quorumlibet hominum quae sunt, quandoquidem ille, qui non cum mercede debita, sed cum gratuita gratia venit, omnes peccatores solus à peccatis liber atque liberator invenit.

6. Si ergo nos virtus vera delectat, ei dicamus, quod in ejus sacris litteris legimus: *Diligam te, Domine virtus mea*; & si verè beati esse volumus (quod nolle non possumus) id quod eisdem in litteris didicimus, fido corde teneamus: *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias mendaces.* Quanta est autem vanitas, quanta insaniam, quantumque mendacium, hominem mortalem, ærumnosam vitam mutabili & spiritu & carne ducentem, tot peccatis oneratum, tot tentationibus subditum, tot corruptionibus obnoxium, poenisque justissimis destinatum, in seipso fidere ut beatus sit, quando ne illud quidem, quod habet in naturae suae dignitate praecipuum, id est, mentem atque rationem, potest vindicare ab erroribus, nisi Deus adsit lux mentium? Abjiciamus itaque, obsecro te, falsorum philosophorum vanitates & insanias mendaces: quia nec virtus nobis erit, nisi adsit ipse quo juvemur; nec beatitudo, nisi adsit ipse quo fruamur, & totum mutabile atque corruptibile nostrum, quod per seipsum imbecillum & quaedam materies miseriarum est, dono immortalitatis atque incorruptionis absorbeat.

Psal. 17. 1.

Psal. 39. 5.

G 4

Quo-

*Psal. 143.
II. seq.*

7. Quoniam verò te reipublicæ scimus amatorem, non aliunde esse beatum hominem, aliunde civitatem, vide quàm sit in illis sacris litteris clarum. Nam quidam in eis sancto Spiritu plenus hæc loquitur, orans: *Exime me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. Quorum filii velut novella constabilitæ in juventute sua. Filia eorum compositæ, & ornata sicut similitudo templi. Cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc. Oves eorum fecundæ, multiplicantes in exitibus suis; boves eorum crassæ. Non est ruina maceræ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: Beatus populus, cujus Dominus Deus ipsius.*

8. Vides exaggeratione terrenæ felicitatis beatum populum non dici, nisi à filiis alienis, id est, non pertinentibus ad regenerationem; qua efficimur filii Dei: à quorum manu iste se eximi precatur, ne ab eis in hanc opinionem atque in peccata impia pertrahatur. Loquendo quippe vanitatem, *beatum dixerunt populum, cui hæc sunt*, quæ supra commemoravit, quibus ea felicitas constat, quam solam dilectores hujus mundi inquirent. Et idèo *dextera eorum dextera iniquitatis*, quia hæc præposuerunt, quæ fuerant postponenda, sicut sinistra præponitur dextera. Si enim habentur, non in eis beata vita ponenda est; subdita esse debent non prædita *; sequentia, non ducentia. Hic autem qui sic orabat, & à filiis alienis, *qui beatum dixerunt populum, cui hæc sunt*, eximi discernique cupiebat, tamquam diceremus: Ipse quid sentis? quem beatum populum dicis? Non ait: Beatus po-
pu-

* id est,
prædita.

pulus, cujus est virtus animi ejus; quod si dixisset, discrevisset quidem etiam istum populum ab illo, qui beatam vitam in ista visibili & corporali felicitate constituit; sed nondum transcendisset omnes vanitates & insanias mendaces. *Maledictus enim omnis* (sicut alibi eadem litteræ docent) *qui spem suam ponit in homine*. Ergo nec in seipso quisquam debet, quia & ipse homo est. Proinde ut transiret omnium vanitatum & insaniarum mendacium limites, atque ibi beatam vitam poneret, ubi vere est: *Beatus*, inquit, *populus, cujus Dominus Deus ipsius.*

Jer. 17. 3.

9. CERNIS igitur unde petendum sit, quod omnes docti indoctique desiderant, & multi errando ac superbiendo, unde petatur & ubi accipiat, ignorant. Utrique autem in quodam divino Psalmo simul reprehenduntur, & qui confidunt in virtute sua, & qui in abundantia divitiarum suarum gloriuntur, id est, & philosophi hujus sæculi, & abhorrentes vel à tali philosophia, beatumque dicentes populum, cui suppetit terrena opulentia. Ac per hoc à Domino Deo nostro, à quo facti sumus, & virtutem petamus, qua hujus vitæ mala superemus, & beatam vitam, qua post istam vitam in ejus æternitate perfruamur, ut & in virtute & in præmio virtutis, sicut Apostolus dicit: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur*; hoc nobis velimus, hoc civitati cujus cives sumus: non enim aliunde beata civitas, aliunde homo; cum aliud civitas non sit, quàm concors hominum multitudo.

Psal. 48. 7.

*2. Cor. 10.
17.*

10. Itaque si omnis prudentia tua, qua consulere conaris rebus humanis; si omnis fortitudo, qua nullius iniquitate adversante tereris; si omnis temperantia, qua in tanta labe

ne-

nequissimæ consuetudinis hominum te à corruptionibus abstines ; si omnis justitia , qua rectè judicando sua cuique distribuis , id laborat , id nititur , ut hi quibus vis ut bene sit , salvi sint corpore , & ab omni cujusquam improbitate tuti atque pacati , habeant filios sicut novellas constabilitas , filias ornatas sicut similitudinem templi , cellaria plena eructantia ex hoc in hoc , fecundas oves , crassas boves , nec maceriæ ruina deformet prædium , nec litigantium clamor personet in plateis eorum ; ita non erunt veræ virtutes tuæ , sicut nec istorum beatitudo. Hic enim ad verum dicendum illa mea verecundia , quam in tua epistola benigno sermone laudasti , me impedire non debet. Si quælibet , inquam , administratio tua , illis quas commemoravi instructa virtutibus , hoc intentionis fine determinatur , ut homines secundum carnem nullas iniquas molestias patiantur ; nec ad te existimas pertinere , quo istam quietem , quam præstare niteris , referant , id est (ut verbis non ambiam) quomodo Deum verum , ubi est quietæ vitæ omnis fructus , colant , nihil tibi prodest ad vitam verè beatam tantus labor.

11. Inverecundiùs hoc dicere videor , & oblitus quodammodo consuetudinem intercessionum mearum. Sed si nihil est verecundia , nisi quidam displicendi metus , ego in hac causa metuendo non vereor. Metuo enim ne primùm Deo , deinde ipsi amicitia , quam mecum inire dignatus es , jure displiceam , si micum liber in admonendo fuero , quod me admonere saluberrimè existimo. Sim certè verecundior , cum tibi pro aliis intercedo : cum verò pro te ipso , tanto liberior quanto amicior ; quia tanto amicor quando fidelior : quàmquam

Virtutes
non veræ.

quam hæc ipsa non dicerem , nisi verecundiùs agerem. Quæ si *maxima est* , ut ipse scripsisti , *difficilium inter bonos efficacia* ; adjuvet me pro te apud te , ut in illo te fruatur , qui mihi hanc ad te januam fiduciamque præstitit : præsertim quia id quod suggero , jam facile arbitrator esse animo tuo tot divinis numeribus adminiculato & instructo.

12. Si enim virtutes quas accepisti , à quo acceperis sentiens , eique gratias agens , eas ad ipsius cultum etiam in tuis istis sæcularibus honoribus conferas , tuæque potestati subditos homines ad eum colendum exemplo tuæ religiosæ vitæ , & ipso studio consulendi , seu fovendo seu terrendo erigas & adducas ; nihilque aliud in eo , quod per te securius vivunt , velis , nisi ut hinc illum promereantur , apud quem beatè vivent ; & veræ illæ virtutes erunt , & illius opitulatione , cujus largitate donatæ sunt , ita crescent , & perficientur , ut te ad vitam verè beatam , quæ non nisi æterna est , sine ulla dubitatione perducant : ubi jam nec prudenter discernantur à bonis mala , quæ non erunt ; nec fortiter tolerantur adversa , quia non ibi erit nisi quod amemus , non etiam quod toleremus ; nec temperanter libido frenetur , ubi nulla ejus incitamenta sentiemus ; nec justè subveniatur ope indigentibus , ubi inopem atque indigum non habebimus. **UNA IBI VIRTUS ERIT** , & id ipsum erit virtus præmiumque virtutis , quod dicit in sanctis eloquiis homo qui hoc amat : *Mihi autem adherere Deo bonum est*. Hæc ibi erit plena & sempiterna sapientia , eademque veraciter vita jam beata. Perventio quippe est ad æternum ac summum bonum , cui adherere in æternum est finis nostri boni. Dicatur hæc

Pr. 72. 28.

hac & prudentia, quia prospectissimè adhærebit bono, quod non amittatur; & fortitudo, quia firmissimè adhærebit bono, unde non avellatur; & temperantia, quia castissimè adhærebit bono, ubi non corrumpatur; & justitia, quia rectissimè adhærebit bono, cui merito subjiatur.

CAPUT IV.

13. QUAMQUAM & in hac vita VIR-
TUS NON EST, nisi diligere quod diligen-
dum est. Id eligere prudentia est; nullis inde
averti molestiis fortitudo est; nullis illecebris
temperantia est; nulla superbia justitia est. Quid
autem eligamus quod præcipuè diligamus, nisi
quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est,
CUI SI DILIGENDO aliquid vel præpo-
nimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nes-
cimus. TANTO enim nobis meliùs est, quan-
to magis in illum imus, quo nihil meliùs est.
Imus autem non ambulando, sed amando.
Quem tanto habebimus præsentiosem, quanto
eumdem amorem, quo in eum tendimus, po-
tuerimus habere puriorem: nec enim locis
corporalibus vel extenditur vel includitur. AD
EUM ergo qui ubique præsens est & ubique
totus, non pedibus ire licet, sed moribus.
Mores autem nostri, non ex eo quod quisque
novit, sed ex eo quod diligit, dijudicari so-
lent. NEC FACIUNT bonos vel malos mo-
res, nisi boni vel mali amores. Pravitate ergo
nostra à rectitudine Dei longe sumus. Unde
rectum amando corrigimur, ut recto recti ad-
hærere possimus.

14. Ad illum ergo quantà operâ possu-
mus, etiam illi ut perveniant, agamus, quos
tamquam nosmetipsos diligimus, si nosmetip-
sos diligere illum diligendo jam novimus. Chris-
tus namque, id est, Veritas, dicit: *In his*
duo-

Matth. 22.
40.

*duobus præceptis totam Legem Prophetas-
que pendere, ut diligamus Deum ex toto
corde, ex tota anima, ex tota mente, &
diligamus proximos tamquam nosmetipsos.*
Proximus sanè hoc loco non sanguinis pro-
pinqvitate, sed rationis societate pensandus
est, in qua socii sunt omnes homines. Nam
si pecuniæ ratio socios facit, quanto magis
ratio naturæ, non negotiandi, sed nascendi
lege communis? Hinc & ille Comicus (sicut
luculentis ingeniis non deficit respicientia ver-
ritatis) cum ab uno sene alteri seni dictum
componeret: *Tantumne à re tua est otii*
tibi, aliena ut cures, ea quæ nihil ad te
adinent? Responsum ab altero reddidit: *Ho-*
mo sum, humani nihil à me alienum puto.
Cui sententiæ ferunt etiam theatra tota, ple-
na stultis indoctisque, applausisse. Ita quip-
pe omnium affectum naturaliter adigit societas
humanorum animorum, ut nullus ibi homi-
num nisi cujuslibet hominis proximum se es-
se sentiret.

15. Cùm ergo illa dilectione, quam di-
vina lex imperat, debeat homo diligere Deum,
& seipsum, & proximum; non tamen ex hoc
tria præcepta data sunt, nec dictum est, in
his tribus, sed *in his duobus præceptis tota*
Lex pendet & Propheta: id est, in dilec-
tione Dei ex toto corde, ex tota anima, &
ex tota mente, & proximi tamquam sui ip-
sius: videlicet, ut intelligeretur nullam esse
aliam dilectionem, qua quisque diligit seip-
sum, nisi quod diligit Deum. Qui enim ali-
ter se diligit, potius se odisse dicendus est.
Fit quippe iniquus; privaturque luce justitiæ,
cum à potiore ac præstantiore bono aversus,
atque inde vel ad seipsum conversus, ad in-
fe-

Terent.
in Heaut.
Act. I.
Scen. I.

Psal. 10. 6. feriora & egena utique convertitur; fitque in ipso quod veracissimè scriptum est: *Qui autem amat iniquitatem, odit animam suam.* Quia igitur NEMO NISI Deum diligendo, diligit seipsum; non opus erat ut dato de Dei dilectione præcepto, etiam seipsum homo diligere juberetur, cum in eo diligit seipsum, quod diligit Deum. Debet ergo & proximum diligere tamquam seipsum, ut quem potuerit hominem vel beneficiæ consolatione, vel informatione doctrinæ, vel disciplinæ coercitione adducat ad colendum Deum; sciens in his duobus præceptis totam Legem Prophetasque pendere.

23. 9. 4.
Debet.

16. Hoc qui sobria discretione eligit, prudens est: qui nulla hinc afflictione avertitur, fortis est: qui nulla alia delectatione, temperans est: qui nulla elatione, justus est. His virtutibus divinitus impertitis, per gratiam mediatoris Dei cum Patre, & nobiscum hominis Jesu Christi, per quem post inimicitias iniquitatis reconciliamur Deo in Spiritu caritatis: his, inquam, virtutibus divinitus impertitis, & bona vita nunc agitur, & postea præmium ejus, quæ nisi æterna esse non potest, beata vita persolvitur. Hic enim sunt eadem virtutes in actu, ibi in effectu: hic in opere, ibi in mercede: hic in officio, ibi in fine. Itaque omnes boni & sancti, etiam in tormentis quibuslibet divino fulti adjutorio, spe illius finis beati vocantur, quo fine beati erunt. Nam si in eisdem tormentis & atrocissimis doloribus semper essent, cum quibuslibet virtutibus, eos esse miseros nulla sana ratio dubitaret.

17. Pietas igitur, id est, verus veri Dei cultus ad omnia prodest, & quæ molestias hu-

hujus vitæ avertat aut leniat, & quæ ad illam vitam salutemque perducatur, ubi nec aliquid jam mali patiamur, & bono summo semperiternoque perfruamur. Ad hanc te perfectius assequendam & perseverantissimè retinendam exhortor ut meipsum: cujus nisi jam particeps esses, tuosque istos honores temporales ei servire oportere judicares, non Donatistis hæreticis, ad eos in unitatem Christi pacemque redigendos, per edictum diceres: *Pro vobis hoc agitur, pro vobis sacerdotes incorruptæ fidei, pro vobis Imperator Augustus, pro vobis nos quoque ejus judices laboramus;* & alia multa, quæ in eodem edicto ita posuisti, ut te appareat in terreni judicis cingulo, non parva ex parte cælestem rempublicam cogitare. Quare si de veris virtutibus, & verè beata vita volui diutius loqui tecum, quæso, ne onerosus deputer tuis occupationibus: imò verò me non esse confido, quando tu adeo magnum animum & mirabiliter laudandum geris, ut nec illas curas deseras, & his libentius ac familiarius occuperis.